

Grundbuch

I

5

N^o 3^d

Zur K. K. Hof- und
Militär- und Landeskasse

50

PECCATVM
IN
SPIRITVM SANCTVM.

AD
SACRA PENTECOSTES
PIE CELEBRANDA
IN ACADEMIA IENENSI
PROPOSITA COMMENTATIO
SECUNDA.

LITTERIS IOANN. CHRISTOPH. STRAVSSII.

nu-
to ad
mipi-
egat,
s hæc
illius
sancti
tem-
chri-
us ad-
o ipso
tis at-
liciam
tiones
omnes
cti spi-
i apud
um de-



DEI GRATIA
ERN. AVG. CONSTANTINVS

DVX SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM AN-
GARIAE ET CVSTPHALIAE LANDGRAVIVS THVRINGIAE MAR-
CHIO MISNIAE COMES PRINCIPIS DIGNITATE HENNEBER-
GIAE COMES MARCAE ET RAVENSBERGAE DYNASTA
RAVENSTEINI RELIQA

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS
MAGNIFICENTISSIMVS
SPIRITVS SANCTI GRATIAM
PRECATVR

C I V I B V S

QUVM susceptum a nobis est negotium doctrinae de pec-
cato in spiritum sanctum, latius enarranda, in superio-
re commentatione, quae de isto in sacris tabulis habentur,
effata explicauimus, eo consilio, vt ante omnia
certum firmumque poneremus, inter tot nozarum genera pec-
catum in spiritum sanctum tenere locum ac per propriam
suam naturam a reliquis differre. Pro ordinis lege, quam
ipsi nobis dedimus, nunc ad historiam dogmatis huius accedi-
mus, ita describendam, vt quales sententias christiani docto-
res ac scripturae sacrae interpretes de peccato hoc omni tem-
pore protulerint, non solum percenseamus; verum etiam eas-
dem pro veritatis norma diiudicemus.

Ordiamur igitur tractationem hanc ab antiquiori aeuo. Ple-
rique eorum, qui isto ciuitatem christianam doctrina, virtute ac
meritis ornarunt, nomine ac dignitate patrum sacri ordinis nobi-
litati, pauca in monumentis, quae conseruata atque ad nos trans-
missa sunt, de peccato in spiritum sanctum scripta reliquerunt.
Nec, quae in illis leguntur, ita sunt tradita, vt satis essent clara at-
que ad veram adcuratamque rei intelligentiam sufficerent: immo
haud obscure indicant, doctores hos veterum christi cultorum,
quum ipsi firmiore scientia de peccato hoc haud instructi fuerint, dubi-

dubitanter de isto scripsisse et nonnumquam dixisse, quæ pugnantia sunt atque inter se contraria. Ne hoc sine causa dixisse, videamur, nobis necessitatem impositam esse, perspicimus, ipsa illorum effata adducendi ac, quia diuersa sunt, distincte proponendi. Ex numero illorum primi nominandi sunt, qui peccatum in spiritum sanctum interpretantur de peccato in spiritum christi; siue in huius diuinitatem. In his numerandus est HIERONYMVS ob hanc, quam exhibet, explicationem: * *quicumque opera saluatoris beelzebub, principi demoniorum, deputavit et dixerit, filium dei habere spiritum immundum, huic nullo tempore blasphemia remittetur.* Idem sentit HILARIVS ac mentem suam his verbis exprimit: ** *christus phariseorum sententiam et eorum, qui ita cum his sentiunt, peruersitatem seuerissima definitione condemnat, peccatorum omnium veniam promittens et blasphemie spiritus indulgentiam abnegans. Nam quum cetera dicta gesta que liberali venia relaxentur, caret misericordia, si deus negetur in*

A 2 chri-

* *libr. II. commentarior. in Matth. cap. 12. tom. IV. oper. part. I. p. 50. edit. MARTIANAEI.* His, quæ ex eo recensuimus, hæc subiungit: *vel ita locus iste intelligendus est: qui verbum dixerit contra filium hominis, scandalizatus carne mea et me hominem tantum arbitratus, quod filius sim fabri et fratres habeam, Iacobum et Ioseph et Iudam, et homo vorator et vini potator sim, talis opinio absque blasphemia, quamquam culpa non careat erroris; tamen habet veniam propter corporis vilitatem. Qui autem manifeste intelligens opera dei, quum de virtute negare non possit, eadem stimulat invidia, calumniatur, et christum deique verbum et opera spiritus sancti dicit esse beelzebub, isti non dimittetur neque in presenti seculo; neque in futuro.* Vide eiusdem epistolam ad Marcellam contra Nouatianos hæreticos, tom. 11. oper. part. I. p. 164. et adde BALTH.

BEBELIVM antiquitat. ecclesie euangelic. secul. IV. tom. I. p. 1223.

** *commentar. in Mattheum, p. 671. edition. Parisiens. Benedictin.* Existimasse videtur HILARIVS, non quemuis, qui christi diuinitatem neget, veniæ esse expertem; sed illis tantum nullam eius spem relictam fuisse, qui, licet christus satis probauerit, se esse deum; eum tamen solum hominem putauerint atque auctores exstiterint, vt cruenta mors ipsi esset constituta. Scribit enim: *omnium omnino peccaminum veniam deus nobis, suo potius munere; quam nostro merito, largitur, in commentar. in Mattheum, p. 701. oper. Legantur, quæ monachi Benedictini in Hilarii operibus p. 671. denotarunt, vna cum AVGVSTINO CALMETO seculo. legom. et dissertation. in scripturam tom. 11. p. 105.*

christo; quis autem non videat, eum per voces spiritus et deus diuinam christi naturam indicare atque existimare, quod is peccet in spiritum sanctum, qui christi neget diuinitatem? Verbis, non re ipsa a iam productis testibus dissentit PACIANVS, Barcelonenſis episcopus: in ceteris peccatis, ait, aut errore labimur; aut metu frangimur; aut carnis infirmitate superamur. Hæc cæcitas est, non videre, quod videas, et sancti spiritus opera diabolo deputare eamque gloriam domini, qua diabolus ipse superatur, diaboli adpellare virtutem. Hoc est ergo, quod non dimittetur: reliqua bonis poenitentibus donantur. Accedit ad illos quoque AMBROSIVS. Itidem statuit, peccatum in spiritum sanctum spectare ad christum atque abſolui inficiatione, quod iste verus sit deus, et ad sententiam suam declarandam inter alia et hæc pronuntiat:** quicumque spiritus non confitetur in christo deum, et ex deo atque in deo christum, veniam non meretur.* CYPRIANVM

* *epistola 111. contra Symproniantum Nouatianum, quæ tom. 1v. maxim. bibliothec. veterum patrum Lugdunens. existat, p. 312. Transtulit illam quoque vna cum duabus prioribus IOSEPHVS SAENZ DE AGUIRRE in collectionis maximæ conciliorum omnium Hispaniæ tom. 11. p. 79. easque notis illustrauit.*

** *exposition. euangel. secundum Lucam libr. vii. tom. 1. oper. p. 1438. edit. Paris. Benedictin. Attamen AMBROSIVS varius et diuersus est in exponendo peccato in spiritum sanctum. Dicit enim: si quis sancti spiritus dignitatem, maiestatem et potestatem abneget sempiternam et putet, non in spiritu dei eici demonia; sed in beelzebub, non potest ibi exoratio esse veniæ, ubi sacrilegii plenitudo est, quia qui spiritum negauit, et deum patrem negauit et filium, quoniam idem est spiritus dei, qui spiritus est christi, libr. 1. de spiritu sancto cap. 3. tom. 11. oper. p. 611. Ipso hoc argumento, veluti grauissimo, aduer-*

sus eos, qui spiritus sancti diuinitatem impugnarunt, sæpe ac diligenter inter antiquiores DIDYMVVS, BASILIVS, CYRILLVS atque alii vsi sunt. Idem Mediolanensis episcopus alibi pronuntiat, hæreticos et schismaticos esse, qui peccato in spiritum sanctum se contaminarent, libr. 11. de poenitent. cap. 4 tom. 11. oper. p. 421. Existimasse eum, quod peccatum hoc nulla veniæ consequatur, IO. MORINVS commentar. de disciplina in administratione sacramenti poenitentia libr. 1x. cap. 28. adfirmat; cui autem monachi Benedictini in adnotationib. ad Ambrosii opera tom. 11. p. 421. et 611. refragantur: adde NATALEM ALEXANDRVM histor. ecclesiastic. secul. 111. dissertat. 22. p. 745. sqq. Nos ad neutram partem accedimus, quoniam Ambrosius nec constans; nec satis perspicuus est in hac re explicanda, hancque ob causam vix definitur potest, quid de ista statuatur.

NVM in eadem sententia versatum esse, IO. FELLVS putat et contra NICOL. RIGALTIVM adfirmat, quod iste sibi persuaserit, *blasphemare spiritum sanctum idem prorsus esse, ac christum abnegare.* * At vero quum episcopus hic Carthaginienensis de lapsis; siue iis agit, qui negabant, se christi cultores esse, atque ab eius doctrina deficiebant, vt vexationes a se remouerent, ac seruatoris dictum de peccato in spiritum sanctum tantum memorat, sine vlla interpretatione, ** nulla caussa est, cur testimonium hoc, ad rem probandam non satis aptum, aduocare velimus. Maiori iure adducimus ATHANASTIVM, *** Data opera de argumento hoc exposuit ac postquam aliorum, præcipue ORIGENIS ac THEOGNOSTI explanationes reiecerat, ipse contendit, vtrumque peccatum et in filium hominis; et in spiritum sanctum ad christum spectare atque ita inter se diuersum esse, vt per illud seruatoris humanitas; per hoc autem eiusdem diuinitas iniuria adficiatur, cuius posterioris pharisæi dedissent exemplum, quum prodigia, quæ christus diuina virtute ediderat, principi demonum tribuerent atque ita in spiritum sanctum, id est, diuinam illius naturam, essent iniuriosi. Alio loco * eandem rem enar-

A 3

* not. ad Cypriani opera p. 195. edit. Amstelodam. adde GOTTFR. OLEARIII obseruation. ad euangelium Matthæi, p. 392. sq.

** *epistol. xvi. p. 194. oper.* Videtur quoque CYPRIANVS, firmam ac certam sententiam de peccato in spiritum sanctum, speciatim de eo, quod id haud condonandum sit, minus habuisse.

*** *comment. in illud euangelii: qui- cumque dixerit verbum contra filium homin. ceter. tom. i. oper. p. 970. sqq.* Causam, cur, qui peccat in spiritum sanctum, pristinam dei gratiam recuperare nequeat, ita explicat: *quia filium abnegat, quem deprecari potest, vt propitiationem inueniat: aut quam vitam; aut resocillationem expectabit? qui eum*

repudiat, qui sic loquitur: ego sum vita, excitat. loc. p. 983.

* *in testimoniis ex sacra scriptura de naturali communiione similis essentia inter patrem et filium et spiritum sanctum, tom. i. oper. p. 237.* Sed tamen diffiteri haud debemus, non satis esse expeditum, quod scriptum hoc in germanis Athanasiani ingenii monumentis iure numeretur. Disputant hac de re eruditissimi viri; nec plane spernendæ sunt rationes, ob quas nonnulli putant, saltem non certum esse, quod Athanasius eius auctor sit. In operibus illius, quæ Benedictini monachus in publicam lucem emiserunt Paris. ann. MDCXCVIII. opusculum hoc locum tenet inter dubios doctoris huius li-
bros.

rat ac dicit: διττὸς ὁ χριστὸς μετὰ τὴν ἀφραστον ἔνωσιν, ὅτι ἐκ θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος, duplex est christus post ineffabilem unionem, nempe ex deitate et ex humanitate, ac quum denotasset, christum verbi diuinitatem spiritum sanctum; humanitatem vero filium hominis adpellare, peccatum in spiritum sanctum, quale illud sit ac quomodo a peccato in filium hominis differat, interpretatur ac simul causam indicat, cur hoc; non illud condonandum esse, seruator pronuntiauerit: *iudæi*, inquit, *duplicem blasphemiam aduersus christum exercent: ὅτι μὲν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ ἤγουν τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου προσκόπτοντες, προσφίτην αὐτὸν, ἀλλ' οὐ θεὸν εἶναί ἐνόμιζον οἷς καὶ συγγνώμην ἔδωκεν ἀεχθῆ ἦν τοῦ πνεύματος, καὶ οὕτω ἦν χωρῶν ὁ κόσμος, θεὸν πιστεύειν, φανόμενον ἀνθρώπου, aliqui in carnem impingunt, hoc est, in filium hominis, eum prophetam, non deum existimantes, quibus veniam dedit: id enim initium erat prædicationis, quum nondum capax erat mundus, ut, deum illum esse, crederet, qui homo adparebat. Quibusdam interpositis, ad iam dicta adiungit: οἱ δὲ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, εἶτ' οὖν εἰς τὴν τοῦ χριστοῦ θεότητα βλασφημήσαντες, καὶ λέγοντες, ὅτι ἐν βεελζεβούλ, τῷ ἀρχοντὶ τῶν δαιμονίων, ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια: Τούτοις, φησὶν, οὐκ ἀφεθήσεται, οὐδὲ ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, οὐδὲ ἐν τῷ μέλλοντι καὶ πάλιν σημειώσασθαι χρὴ, ὅτι οὐκ εἶπεν ὁ χριστὸς τῷ βλασφημήσαντι καὶ μετανοοῦντι οὐκ ἀφεθήσεται ἀλλ' οἱ τῷ βλασφημοῦντι, εἶτ' οὖν τῷ ἐν τῇ βλασφημίᾳ ἐπιμένοντι, sunt alii, qui in spiritum sanctum impingunt atque ita in christi deitatem blasphemias dicunt, nimirum, quod in beelzebub, principe demoniorum, eieceret demonia. De istis intelligendum est, quod ait: non remittetur, neque in præsentī seculo; neque in futuro. Quin et hoc obseruandum est, non dixisse christum, blasphemanti et poenitentiam agenti remissionem dandam non esse; sed blasphemanti et in blasphemia manenti.* De THEOPHILO, sacrorum Antiocheno-*

bro. Videantur præter alios: ANDR. RIVETVS critic. sacr. libr. III. cap. 5. tom. II. operum eiusdem p. 1104. GVLIELM. CAVEVS histor. litterar. scriptor. ecclesiasticor. volum. I. p. 194. NATALIS ALEXANDER histor. ecclesiast.

secul. IV. cap. 6. articul. 8. p. 113. et CASIMIR. OVDINVS commentar. de scriptoribus ecclesiastic. tom. I. p. 331.

* eadem hæc habentur in ATHANASII fragmentis sermonum; siue commentar.

chenorum antistite, * atque aliis, qui nominantur, ** consulto tacemus.

Sententia ipsa memoratorum antiquioris ciuitatis christianæ doctorum tantum abest, vt sit adprobanda, vt merito falsis interpretationibus scripturæ sacræ adnumerari debeat. Libenter concedimus, peccatum in spiritum sanctum etiam fieri in christum huncque ad illius obiectum referendum esse, quodsi spiritum sanctum vt eum reputamus, qui cum christo, filio dei, communem eandemque essentiam diuinam habet. Sed tamen peccati huius ratio formalis, quemadmodum in scholis loquimur, minime in eo posita est, quod quis malitiose christi diuinitatem lædat atque in istam sit iniuriusus. Grauiores sunt rationes, ob quas hoc statuamus. Expresse enim seruator peccata in filium hominis

menter. in Matthæum, quæ BERNARD. DE MONTFAUCON collectionis nouæ patrum et scriptorum græcorum tom. 11. p. 38. sq. in lucem edidit. Quæ sensu ille ac litteris mandauit de peccato in spiritum sanctum, ea percentent quoque: IO. CASP. SVICERVS thesaur. ecclesiastic. tom. 1. p. 699. monachi Benedicini not. ad Hilarii opera p. 671. AVGVSTIN. CALMETVS prolegom. et dissent. in scripturam tom. 11. p. 104. et BALTH. BEBELIVS antiquitat. eccles. euangelic. secul. 1v. tom. 1. p. 125.

* sub nomine eius commentarii in quatuor euangelia tom. 11. maxim. bibliotheca veterum patrum Lugdunens. part. 2. p. 166. latine existant. In illorum libr. 1. p. 168. hæc de peccato in spiritum sanctum tradita sunt: *christus negat, contra spiritum sanctum emissum verbum posse dimitti, quia deus spiritus est et spiritualis est lex diuina. Ergo sicut quicumque filium hominis; humana meditantem, impune contemnimus; ita dicenti agentique spiritualia, vt filium dei non resalutare, perpetuus est reatus; nisi*

poenitentia remedia consequamur. Conueniunt hæc cum illis, quæ commemorati a nobis patres sacri ordinis scripserunt; ista tamen ad horum effata adiungere, dubitamus, quia doctissimi viri, argumentis non contemnendis innixi, suspicantur, *commentarios* hos latino scriptori recentiori adtribuendos esse.

** CHRISTOPH SANDIVS quosdam veterum christianorum doctores recenset, qui peccatum in spiritum sanctum de peccato in christum, filium dei, interpretati sunt; minus autem accurate, *interpretation. paradox. quatuor euangeliorum* p. 40. Refert in numerum illorum CHRYSOSTOMVM ac testimonium adducit ex *homil. xxx. operis imperfecti*; quod tamen fictum Chrysostomi nomen præ se ferre, satis constat. Quando GOTTFR. OLEARIVS *observationib. ad euangelium Matthæi* p. 392. addit HERMAE pastorem, itidem haud expeditum est, monumentum hoc esse germanum, licet illi antiquitatis auctoritatem haud detrahamus.

nis atque in spiritum sanctum discernit ac diserte enuntiat, si quis peccet contra filium hominis, eum veniam delicti consequi atque in gratiam cum deo redire posse; minus autem, ubi id in spiritum sanctum fiat. Quando præterea christus se *filium hominis* adpellat, non solum humanitatem suam vna cum statu humili atque abiecto; sed totam personam, quæ et verus deus et verus homo est, indicat, id quod non solum ex eo patet, quod alibi, quum maiestatem suam significat, nomen *filii hominis* sibi tribuit; verum etiam res ipsa id satis confirmat. Sane, qui peccat in eum, peccat in personam illius hocque nomine ea ratione, ut christus tamquam deus et homo coniunctum lædatur. Ac quis persuadeat sibi, illum ut solum hominem contumelia adfici posse sine offensione, quatenus filius dei est ac cum patre suo communi splendet diuinitate? Humana enim natura cum diuina ita coniuncta est, ut vnâ personam constituent ac proprietatum facta sit communicatio; per hanc autem alteri naturæ eueniat, quod alteri contingit. Immo qui peccatum in spiritum sanctum sumunt de peccato in filium dei, vnde probare volunt ecclesiæ patres, christum propter diuinitatem vniquam in sacro codice *spiritum sanctum* adpellari? Tertia essentiæ diuinæ persona nomen hoc semper sibi proprium habet recteque GREGORIUS Nazianzenus* dicit: ἰδιον ὄνομα τοῦ ἀγενήτως προελθόντος, ἢ προϊόντος, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, *proprium nomen eius, qui citra generationem processit; aut progreditur, spiritus sanctus.*

Alii, eum peccare contra spiritum sanctum, putant, qui per omnem vitam in vitiis suis perseveret istamque sine resipiscentia mentisque emendatione finiat. Princeps in illis est AVGVSTINVS, qui sæpe de hoc argumento exposuit atque in eo enarrando multam posuit operam. Quum dixisset: ** *hoc est fortasse peccare in spiritum sanctum, id est, per malitiam et inuidiam fraternali oppugnare caritatem, post acceptam gratiam spiritus sancti, his ut addatur, postea voluit: *** si quis in hac tam scelevata*

men-

* oration. xxxvi. tom. i. oper. p. 590. edit. Benedict. Antwerp.

** libr. i. de sermon. domin. in monte cap. 22. tom. 111. oper. part. 2. p. 142.

*** libr. i. retractationum cap. 19. tom. i. oper. p. 22.

mentis peruersitate finierit hanc vitam; nec obscure significauit, se existimare, quod is culpam peccati huius sustineat, qui vsque ad mortalitatis finem gratiam diuinam spernat; nec ad meliorem redeat animum. Hanc sententiam in mente illius fixam mansisse, testimonia, quæ in diuersis libris dedit, conficere videntur. Quod vt comprobemus, libet nobis, quædam eorum percensere, quæ hac de re litteris consignauit. In epistola, quam ad Bonifacium exarauit, hæc habentur: * peccatum in spiritum sanctum est duritia cordis vsque ad finem huius vitæ, qua homo recusat, in unitate corporis christi, quod viuificat spiritus sanctus, remissionem accipere peccatorum, et quibusdam interpositis: huic dono gratiæ dei quicumque resisterit et repugnauerit, vel quoque modo fuerit ab eo alienus vsque in finem huius temporalis vitæ, non remittetur ei, neque in hoc seculo; neque in futuro: hoc scilicet tam grande peccatum, vt eo teneantur cuncta peccato, quod non probatur ab aliquo esse commissum; nisi quum de corpore exierit.** Alio loco scribit:*** ille peccat in spiritum sanctum, qui desperans; vel irridens atque contemnens prædicationem gratiæ, per quam peccata diluuntur, et pacis, per quam reconciliamur deo, detrectat, agere poenitentiam de peccatis suis et in eorum impia atque mortifera quadam suauitate perdurandum sibi esse, decernit et in finem vsque perdurat, atque addit, * quum illi sine dubitatione sanati fuerint, qui dolore, ex noxarum grauitate accepto, incitati ad benignissimum deum confugerint, necesse esse, vt peccatum in spiritum sanctum nihil aliud sit; quam

B

per-

* quum AVGVSTINVS peccatum in spiritum sanctum varia ratione descripsit, sex peccati huius species ex illo enumerant THOM. AQUINAS in secunda secunde summe theologicæ quest. xiv. articulo, 2. p. 31. atque alii romanæ curiæ addicti, quippe desperationem, præsumtionem, impotentiam, obstinationem, impugnationem veritatis agnitæ, inuidiam fraternæ gratiæ: adde 10. ADAM. SCHERZERVVM dissert. theolog. fascicul. diss. 1. cap. 10. p. 66. Sed vbi animum non tam ad verba AVGVSTI-

NI; quam ad horum sententias aduertere velimus, tot varietates non deprehendemus, quot adesse, excitati auctores sibi persuadent.

** epistol. CLXXXV. cap. 11. tom. 11. oper. p. 504 memoratæ editionis. Scripta illa videtur circiter annum christianum CCCCVII. et adpellatur quoque liber de correctione Donatistarum.

*** epistolæ ad romanos inchoat. exposition. num. 14. tom. 111. oper. part. 2. p. 679.

* ibid. num. 22. p. 683.

perseuerantia in nequitia et in malignitate cum desperatione indulgentiæ dei. Inprimis commemorandum est, quod Hipponensis hic præful christi pronuntiatum de peccato hoc, prout id inter euangelistas Matthæus diuinis litteris tradidit, singulari sermone recensuerit ac copiose abundanterque illustrauerit. Præter alia, in eo hæc profert: *contra hoc donum gratuitum: contra istam dei gratiam loquitur cor impenitens.* Ipsa ergo impenitentia est spiritus blasphemia, quæ non remittetur neque in hoc seculo; neque in futuro, ac nonnullis interiectis: *sed ista impenitentia; vel cor impenitens, quamdiu quisque in hac carne uiuit, non potest iudicari.* De nullo enim desperandum est, quamdiu patientia dei ad poenitentiam adducit; nec de hac vita rapit impium, qui non mortem uult impii, quantum ut reuertatur et uiuat.* Sufficere hæc possent ad perspicue declarandum, qualem opinionem de peccato in spiritum sanctum AVGVSTINVS sit amplexus; liceat tamen, vnicum illius dictum adiungere, idque his verbis expressum: ** *qui, in ecclesia remitti peccata, non credens, contemnit tamquam diuini muneris largitatem, et in hac obstinatione mentis diem claudit extremum, reus est illo irremissibili peccato in spiritum sanctum, in quo christus peccata dimittit.* Tribuuntur ei nonnulla alia effata; *** sumta autem ista sunt non ex germanis; sed adulterinis libris, * hancque ob rem nos ab illis abstinemus.

Qui omnia, ab AVGVSTINO de peccato in spiritum sanctum tradita, rite expendere velit, fatebitur, illum multis aliis christianis doctoribus propius ad veritatem accessisse; licet eam nec plene; nec adcurate fuerit adsequutus. Quum existimat, qui

* *sermon. LXXI. de verbis euangelii Matth. cap. 12. et 13. tom. v. oper. p. 275. 19.* Quando in *enchorid. de fide, spe ac caritate cap. 83. tom. vi. oper. p. 167.* dicit: de peccato in spiritum sanctum in quodam propter hoc solum conscripto libello enucleatissime, quantum potui, disputavi, verisimile est, illum per libellum, cuius meminit, memoratum sermonem significare voluisse.

** *excitat. loc. enchoridii de fide, spe ac caritate.*

*** vide 10. MEISNERVM tractat. theolog. de peccato in spiritum sanctum cap. 11. thes. 1. §. 3. et 10. ERNEST. GERHARDVM disput. de irremissibili peccato in spiritum sanctum §. 17. et alios.

* sunt isti: liber de fide ad Petrum; siue de regula veræ fidei, cuius auctor est FVLGENTIVS, episcopus Ruspensis, et alius de vera et falsa poenitentia.

contra spiritum sanctum peccet, eum in statu mentis, a resipiscencia aliena, perpetuo permanere hocque nomine ipsi omnem spem veniæ ac gratiæ diuinæ præclusam esse, vera sentit; nec de recta via desectit, quando adfirmat, neminem ante obitum delicti huius argui posse, ab aliis videlicet hominibus. At vero hoc non sufficit ad definiendum, quid peccati huius sit proprium quæ ratione id ab omni aliarum noxarum genere differat. Quamuis enim qui spiritum sanctum lædit, per omne vitæ suæ tempus mentem retineat haud poenitentem; hoc tamen ipsius peccati in spiritum sanctum formam minus constituit; sed est aliquid tantum, quod cum isto connexum est ac veluti effectus peccati; siue consequens, quodammodo reputari debet. Sane et illi, qui contra christum peccant, ab omni dolore noxarum ac voluntate, ad deum reuertendi, vsque ad mortem remoti esse possunt; quum autem seruatores peccata in *filium hominis* et in *spiritum sanctum* expresse discernit, *Matth. XII, 32.* sequitur omnino, vt propria peccati in spiritum sanctum natura non sit eiusmodi status mentis, quo hæc omni ac perpetua careat poenitentia. Peccant in spiritum sanctum, qui, postquam ad cognitionem veritatum cælestium peruenerunt ac beneficia, a christo nobis acquisita, consequuti sunt, a deo deficiunt huiusque filium sibi iterum in crucem tollunt, quemadmodum ex *epistola ad Ebræos* scripta *VI, 4.* abunde constat; quis tamen nesciat, multos sine poenitentia fideque in christum e vita abire, licet antea in illis lumen diuinum haud fuerit accensum; nec ipsi gratiæ diuinæ participes facti sint? Immo ex *AVGVSTINI* sententia iure conficitur, de omnibus, sine resipiscencia et conuersione ad deum mortuis, iudicandum esse, quod peccauerint contra spiritum sanctum; hoc tamen neminem pronuntiatu- rum esse, arbitramur, vbi accuratiorem et scripturæ sacræ convenientem loquendi rationem adhibere velit.*

Iterum igitur disputauimus de peccato in spiritum sanctum :

B 2

spi-

* adde, quæ contra *AVGVSTINI* doctrinam de peccato in spiritum sanctum disputant: *AEGIDIVS HVNNIVS articul. de peccato tom 1. oper. latinor. p. 475.* *LEON. HVTTERTVS locor. commun. theolog. p. 364.*

10. MEISNERVS tract. theol. de peccato in spiritum sanctum cap. II. §. 5. sqq. 10. AD. SCHERZERTVS disp. de peccato in spiritum sanctum, quæ in eiusdem diff. theol. fascicul. existat, cap. 10 p. 66. atque alii.

spiritum illum, cuius memoria nunc in sanctioribus coetibus christianorum celebratur cuiusque illustria munera, ea praesertim, quae super apostolos praelarga effudit manu, adnuntiantur. Festi ac solemnes hi dies admoneant vos, CIVES! vestri officii atque ad ea studia incitent, ut tempus, vobis consulendi: vestrae prospiciendi sempiternae saluti, quum id per caelestem benignitatem rediit, sapienter ac commode capiat. Quicumque gratiae diuinae expertes sunt, desinant, libidinibus obsequi, atque omnes curas cogitationesque in eo ponant, ut templa fiant spiritus sancti, *1 Cor. III, 16. VI, 19.* spiritus christi in iis suum habeat domicilium, *Rom. VIII, 9. 1 Io. III, 24.* eos semper deducat per planum solum, *psalm. CXLIII, 19.* iis praeeat ad omnem veritatem, *Io. XVI, 13.* pectora illorum iustitia, pace ac gaudio impleat, *Rom. XIV, 17.* seque istis, quando in suis miseriis ac calamitatibus solatio egent, dulcissimum praebat consolatorem, *Io. XIV, 16. 26. XV, 26. XVI, 7.* pro iis supplicet gemitibus ineffabilibus, *Rom. VIII, 26.* et tamquam pignus hereditatis caelestis, *Eph. I, 14.* huius spem in illis alat atque ad incrementa fidei ac sanctioris vitae, praesertim fortitudinis ac constantiae, confirmet. Qui in dei gratiam, per sanguinem iesu christi partam, iam restituti sunt, tempore hoc sacro festoque id pie ac sollerter meditentur, quomodo munera spiritus sancti, in illos collata, conferentur, augeantur atque ad ampliora omnium virtutum ornamenta salutare ac felices fiant progressiones. Vtrarumque partium est, ut templa diligenter obeant: ad interpretationes verbi diuini audiendas mentes pariter ac aures admoueant: carmina sacra religiose canant: pure casteque deum precentur; simul autem, pro pia ac laudabili consuetudine, erga sacerdotes nostros liberalitatem exercent. P. P. primo die pentecostes, anni pacis, hominum saluti diuinitus conciliata,

MDCCLII.

(L. S.)

00 A 6359

ULB Halle
002 916 746

3




VD 18

W 17

Retrow







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

Farbkarte #13

50
CATVM
IN
M SANCTVM.

AD
PENTECOSTES
CELEBRANDA
ACADEMIA IENENSI
SITATA COMMENTATIO
SECUNDA.

ANN. CHRISTOPH. STRAVSSII.